

*festius appareret, si modus transitus eorum michi innotuisset, ut eum presenti historie possem adaptare. Quia vero nostri temporis Helias, beatus Thomas martir Anglorum, presentis fuge misterium sub aspectu meo fideliter transcurrerit, eum in testimonium expositionis mee fiducialius accomodo, non quia melius prioribus misteriis alluserit, sed quia mihi magis innotuit. Ego enim aliquandiu exilii sui et cause particeps extiti, sed tamen infortunio et culpa mea postmodum inventa mihi pace maiori parte tribulationis sue persecutori suo curie mancipatus inutiliter ministravi. Cum igitur prefatus episcopus in auspiciis sue promotionis comminatus fuisset Acab sui temporis, quia populus et clerus prevaricassent iusticiam ecclesie, verbum domini sectutus declinans Acab in quibus potuit profecit et apud corvos et apud viduam et apud sacerdotes (vgl. 3. Reg. 17, 1 ff.). Impetrato enim igne illuminationis divine in pluviis et aqua sapientie salutaris (vgl. 3. Reg. 18, 44) et rore sancti spiritus in aliquibus coram Acab in monte circumcisionis ante eum etiam cucurrit in Iezrael (3. Reg. 18, 46) ad verbi dei seminum per doctrinam et predicationem spargendum. Veruntamen iterato conventu a rege exquisitus occasionibus et dolis demum excandentibus etiam in eum curialibus in ipso concilio regio gravissimas comminationes Iezabel expavit, et timidus aufugit (19, 2) non quo ratio spiritus sed quo voluntas sensualitatis eum traheret derelicta ecclesia sua. Venit autem in Bersabee Juda, videlicet Senonis Galliarum ad curiam Romanam³¹⁾, et ibi quodam modo derelicto suo puero (19, 3) et velut intermissa cura populi de licentia et consilio domini pape exulans transivit Pontiniacum ad ordinem Cisterciensem³²⁾, quasi una dieta in desertum (19, 4) et ibi in dolore et tristitia obdormivit. Angelus autem domini suscitavit eum (19, 5), ut ibi pariter negociaretur ad penitentiam et disciplinam advertendo, quod deserens populum suum dereliquerat et ediscendo quid consultius fecisse debuerat. Ibi enim in angustia animi sui preeunti populo suo graviter compasus est et assidue lectionis vacavit, forsitan estimans inconsulte conscientie sue sufficere sibi soli consulere, quandoquidem apud Acab non poterat pacem invenire³³⁾. Quia vero deo placita sunt penitentie et discipline initia interius in anima sola negociantia per dei misericordiam iterato suscitatur ab angelo proposito ei iterum pane subcinericio penitentie et vase aque (19, 6) discipline. Docuit enim eum non esse quiescendum eo fine quasi sufficeret presentia et mala deflere / preterita et que fiant aut fieri debeant intelligere, nisi sequeretur penitentiam satisfactio et disciplinam exercitatio. Unde: *Grandis enim restat tibi via* (19, 7). Oportuit enim, ut et hoc, quod populum suum dereliquit, pena ieiunii et aliarum angariarum satisfactionis expiaret, et ut ea que didicerat, assidua lectione aliquando in opere completeret. *Abiit ergo in fortitudine cibi illius* (19, 8) usque in ardorem caritatis ad portum venie. Purgatus vero tandem a culpa delituit et adhuc in sue fragilitatis spelunca (19, 9) nondum presumens ad curam populi sui redire³⁴⁾. Demum vero sermone domini visitatus est et ammonitus egredi de spelunca et stare in monte ad transitum domini conterendum (19, 9—11), ut per eius transitum agnosceret, quo ordine et quantum fuerit transeundum ad assequendum dominum prius omnis penitentie et discipline perelongatum expensum. Et quidem, sicut dicitur, venit ei vox de celo*

³¹⁾ November 1164, Sens.

³²⁾ Pontigny.

³³⁾ Von Becketts Reue über seine übereilte Flucht berichten auch die Viten, z. B. II. Anon. Vita (Rer. Brit. Scr. 67, 4 S. 104/04).

³⁴⁾ 1. Nov. 1170, Rückkehr nach Canterbury.